

Sedanensibus *Tom. II. pag. 1023.* motio sive motus. Actus, inquam, *α) perfectissimus* finem per media non respiciens, non mera ac nuda *contemplatio* à nobis expositus, quicquid etiam contrà, ex Thomâ *P. I. summ. Theol. quest. 14. artic. 16. & Libr. I. contra Gentes Cap. 98.* sentiat Autor Theologiæ naturalis *Acroamat. cap. 7. §. 19. pag. 144.* nec *β) in rigore Philosophico*, motus, imperfectionem in subjecto, ceu actus cum potentiâ imperfecti, connotans; sed *generaliter*, pro operatione seu motu quovis, cum actu etiam, ut loqui amant, perfecti. Conf. Sedanens. *Tom. II. p. 1023.* & Dom. Bannes. *in l. c. Thoma p. 235.* *γ) internus* sive *intrinsecus* vel *immanens*. [An enim plantarum vita ab intrinseco, an verò, ut moderni volunt, ab extrinseco per particulas eveniat, cum hîc disquirendi non sit locus, determinare nolumus.] *δ) ut varietate* sive pluralitate operationum, ita etiam ab externo motore independentiâ, *præstantissimus*. *ε) Ultimus*, nullam enim se priorem nec posteriorem agnoscit operationem. *ζ) Purissimus*, omnem passivam excludens potentiam. *η) simplicissimus*, omne essentiaë divinæ extraneum removens. Vide sis Kloz. *l. c. §. 6. p. 650.* *θ) creaturis* etiam quadantenus, i. e. secundum quid & *dependentè*, vel dein *non univocè*, ob finitum inter & infinitum distantiam, nec *equivocè* saltim sive solo nomine tenus, quia ex cognitione vitæ creaturarum in creatoris venimus, sed *analogicè*, adeò, ut DEO primariò, *ἰσσοδῶς*, principaliter, originaliter, *ὑπεροχικῶς*. Creaturis verò per participationem & cum gradu, ut est inter voluntatem, justitiam, & misericordiam DEI & hominum, *diminutionis*, competat, *communis*. Conf. Suarez. *Dispp. Metaphys. Disp. xxx. sect. 14. n. 14.* Van Mastricht *Gangr. Novit. Cartes. sect. post. cap. 8. th. 2. p. 244. it. in Theol. Theoret. Pr. Lib. II. cap. 5. th. 7. p. 170. & Libr II. cap. 12. th. 9. p. 225.* Maresius *Syst. Theol. Loc. 2. §. 36. p. 82. f.* Ex his vel maximè, quod DEI omnium vitarum vivacissimi, *vita pervigil in activitate* à parte DEI tamen *non positivâ*, quasi

B

DEUS